

141. Quænam solemnitates requirantur ad hoc, ut renuntiationes et obligationes ingredientium religionem subsistant? Resp. Præter solemnitates juris communis specialiter a Tridentino requiruntur duæ, videlicet *primo*, quod fiant « cum licentia episcopi, vel ejus vicarii, » textus expressus est in dicto concilio Tridentino, sess. 23. *de Regular.* cap. XVI. Unde licentia superioris ordinis etiam exempti non sufficit, uti contra Navarrum bene docet Roderiquez noster, tom. II, q. 48, a. 4; Mirand. tom. I, q. 23, a. 6; Sanchez, loc. cit. n. 74; Pirhing, h. t. n. 88. Ratio est: quia etiam exempti subsunt jurisdictioni episcopi in casibus a jure specialiter ad id expressis, qualis est renuntiatio ingredientium religionem, per clarum textum; et merito, ut sic excludatur omnis suspicio fraudis et doli, qui contra regulares concipi posset: nam licentia et præsentia judicis tollit omnem suspicionem fraudis et doli, l. fin. ff. *De eo, quod metus caus.* Fatentur tamen doctores citati, quod in aliquibus religionibus vi contrariæ consuetudinis legitime introductæ valeant renuntiationes novitiorum absque petita licentia episcopi.

Ad *tertium* patet ex dictis n. 148.

152. Ad *quartum*, opponuntur declarationes contrariæ pro nostra conclusione factæ juxta dictum num. 149. Pro reconciliatione autem declarationum sibi contrariarum responderi potest cum Sorbo, loc. cit.; declarationes allegatas ab adversariis loqui de renuntiationibus ante ingressum religionis, et absque intuitu ingressus in eam factis (quas validas esse, et dispositionibus Trident. non subesse, ipsimet fatemur juxta dicta n. 138); declarationes vero a nostris doctoribus adductas loqui de renuntiationibus ante ingressum quidem, sed intuitu ingressus factis, prout patet ex formalibus declarationis n. 149. adductæ. Quod si tamen declaratio aliqua recentior contra conclusionem nostram pro adversariis extaret, ei utique standum foret juxta dicta in Proœmio, §. 8.

153. Ad *valorem renuntiationis novitii vel ingressuri* requiritur de concilio Tridentino, ut fiat cum licentia superioris. — Quæritur IV.

Quænam solemnitates requirantur ad hoc, ut renuntiationes et obligationes ingredientium religionem subsistant? Resp. Præter solemnitates juris communis specialiter a Tridentino requiruntur duæ, videlicet *primo*, quod fiant « cum licentia episcopi, vel ejus vicarii, » textus expressus est in dicto concilio Tridentino, sess. 23. *de Regular.* cap. XVI. Unde licentia superioris ordinis etiam exempti non sufficit, uti contra Navarrum bene docet Roderiquez noster, tom. II, q. 48, a. 4; Mirand. tom. I, q. 23, a. 6; Sanchez, loc. cit. n. 74; Pirhing, h. t. n. 88. Ratio est: quia etiam exempti subsunt jurisdictioni episcopi in casibus a jure specialiter ad id expressis, qualis est renuntiatio ingredientium religionem, per clarum textum; et merito, ut sic excludatur omnis suspicio fraudis et doli, qui contra regulares concipi posset: nam licentia et præsentia judicis tollit omnem suspicionem fraudis et doli, l. fin. ff. *De eo, quod metus caus.* Fatentur tamen doctores citati, quod in aliquibus religionibus vi contrariæ consuetudinis legitime introductæ valeant renuntiationes novitiorum absque petita licentia episcopi.

154. Et intra duos proximos menses ante professionem. — Secunda solemnitas est, ut fiat intra bimestre ante professionem. Communis ac certa textu claro concilii Trident. loc. cit. ibi: « Intra duos menses proximos ante professionem. » Nec tamen requiritur, ut fiat integro bimestri ante professionem, sed tantum ne fiat ante illud: unde validæ erunt, etsi fiant ultima die, vel hora ante professionem, etiam in casu, quo professio differtur, ut cum aliis ex textu bene inferunt Sanchez, loc. cit. n. 8; Pirhing, h. t. n. 89, caretque controversia. Advertendum hic etiam, quod contra hanc solemnitem non ita vigeat consuetudo, uti contra primam, licentiam nempe episcopi.

155. De requisitis ad renuntiationem hæreditatis futuræ. *Remissive.* — Quæritur V. Quænam requirantur ad hoc, ut rite fiat et subsistat renuntiatio, qua ingrediens religionem renuntiat hæreditati futuræ paternæ, maternæ, fraternæ, sororum, consanguineorum? Item quomodo interpretanda? Resp. præter duas solemnitates in proximis duobus numeris allegatas requiri insuper aliqua de jure communi, de quibus fuse tradita vide supra tit. XXVI. *de Testam.* §. 17. *de Renuntiatione hæreditatis*, ubi etiam invenies, quomodo sit interpretanda.

156. *Renuntiatio in favorem communitatis valet sine consensu illius, cujus hæreditati renuntiat.* — Solum notandum, quod licet loc. cit. *de Testam.* n. 541, dictum sit, renuntiationem hæreditatis unius, vel plurium in specie v. g. patris, matris, fratrum, sororum, etc. in favorem tertii non valere, nisi fiat cum consensu illius, cujus hæreditati renuntiat; tamen valeat hujusmodi renuntiatio, si novitius, vel alius renuntiat in favorem alicujus communitatis, præsertim ecclesiasticæ aut religiosæ, v. g. conventus, vel monasterii, etiamsi non fuerit requisitus consensus illius, cujus hæreditati renuntiat. Ita cum Comeo in l. fin. C. *de Pact.*, fallentia. 3, et aliis docet Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. II. a. n. 24; Layman, lib. III. tract. V. cap. VII. n. 3, q. 2. *Limitat.* 3; Pirhing, h. t. n. 90. Ratio est quia in tali renuntiatione cessat ratio et finis legis prohibenti et irritantis renuntiationes hæreditatis alicujus in favorem tertii; periculum tempe captandæ mortis, arg. c. *Consultationibus.* 4. *de Donat.* ubi decernitur præbendam viventis posse conferri communitati, licet non possit conferri privato, eo quod in illa, non item in isto absit periculum captandæ mortis; prout bene advertunt Abbas, n. 3; Anchoranus, n. 3; Joan. Andreas, n. 2, et alii; tum quia bonum communitatis regulariter non ita curatur ut proprium: tum quia quid communitati datur, nemini datur, nec est singulorum, arg. can. *Episcopus.* §. *Qui manumittitur.* 11. q. 1; tum quia de communitate nihil sinistre suspicari licet, arg. can. *Absit.* 14. juncta Glossa *†. Sinistrum.* cau. 11. q. 3, multo minus quid sinistre præsumi potest de singulis alicujus communitatis præsertim religiosæ; cum enim hi propter Christum propria reliquerunt, minime censendi sunt inhiare alienis. Verum si ingrediens renuntiat in favorem patris, matris, aut sororum, omnino requiritur consensus illius, cujus hæreditati renuntiat, per dicta n. 541. *de Testam.* (ADNOTATIO VI.)

§ VI.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA EXPRESSA ET TACITA: ITEM DE REQUISITIS AD EAM, ET VARIIS MODIS EAMDEM FACIENDI.

157. *Professio religiosa definitur.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit professio religiosa? Resp. I. Professio religiosa est pro-

missio libere facta, et legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, post annum probationis expletum se adstringit certæ religioni ab ecclesia approbatæ. Est in re communis, et ex terminis clara, patebitque ex dicendis infra n. 159. ubi examinabimus requisita ad validam professionem.

158. *Alia est expressa, alia tacita.* — Resp. II. Professio religiosa est duplex expressa nempe, et tacita, textu claro c. i. *de Regular.* in 6. Professio expressa est, quæ fit verbis, vel scripto, vel utroque simul, vel etiam nutu aut signis. Tacita est, quando quis sine verbis vel scripto, signo vel facto alio externo mentem suam obligandi se ad tria vota, et certam religionem manifestat, de qua infra n. 176. et seq. Cæterum in data explanatione tacitæ et expressæ professionis doctores sine controversia conveniunt.

159. *Ad valorem professionis plura requiruntur.* I. *Ætas annorum sexdecim.* — Quæritur II. Quænam ad valorem professionis religiosæ requirantur? Resp. requiri plura. Patet inductione. Nam I, requiritur legitima ætas, annorum videlicet sexdecim completorum. Omnes, ob claram dispositionem Tridentini, sess. 23. *de Regular.* cap. XV. ibi: « In quacunque religione tam virorum, quam mulierum non fiat ante decimum sextum ætatis annum expletum, etc. Professio autem antea facta sit nulla, » etc. per quod correctum est jus antiquum, vi cujus sufficiebat annus pubertatis, exceptis religionibus valde asperis et severis, in quibus professionem ante plenam pubertatem, videlicet annorum octodecim, l. *Adrogato.* 40. ff. *de Adoption.* emittere prohibebatur, ut liquet ex c. *Quia in Insulis.* 6. h. t. quod idem a specialibus statutis in quibusdam religionibus, v. g. in Ordine minimorum sancti Francisci de Paula etiam hodie adhuc observatur; quæ statuta licet sint observanda, tamen si contra eadem anno decimo sexto emitteretur professio, foret valida; quia tantum contra legem prohibentem, non vero irritantem fieret, arg. cit. c. 6. h. t. ibi: « Prohibemus. » Et hæc particula indicatur in definitione n. 157. posita per verba, « in debita ætate constitutus. »

160. II. *Annus probationis integer.* — II. Prærequiritur annus probationis completus, textu expresso concilii Tridentini, loc. cit. ibi: « Nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum, in proba-

tione steterit, ad professionem admittatur : Professio autem antea facta sit nulla, » etc. Et quidem hic annus debet esse continuus juxta dicta n. 103. ac probabilius etiam de momento in momentum completus per dicta n. 94. Hæc conditio insinuat in definitione per verba « post annum probationis expletum. »

161. III. *Ut fiat libere sine metu gravi incusso.* — III. Requiritur, ut professio omnino libere, libero consensu profitentis absque metu gravi, sive cadente in virum constantem ab externo injuste incusso fiat. Rursus unanimis, textu claro c. i. h. t. ibi : « Spontanea voluntate, » c. i. de His, quæ vi metusque causa fiunt, can. Præsens, 4. cau. 20. q. 3. juncto concilio Tridentino, sess. 25. de Regular. cap. xix. ubi inter causas reclamandi contra professionem prima ponitur, « si quis per vim, vel metum inductus est. » Ratio est, quia per professionem assumitur status ex natura sua non amplius mutabilis; unde sicut hoc hanc rationem matrimonium carnale metu gravi injuste incusso est nullum, ita et professio religiosa tanquam matrimonium spirituale. Dicitur notanter « absque metu gravi, seu cadente in constantem virum, » quia levis metus invalidam non reddit professionem, uti communiter advertunt, doctores arg. l. 3. ff. Ex quibus causis major. Quid autem sit metus gravis, seu cadens in constantem virum, et quænam illum causare præsumantur, vide lib. I. tit. XL. de His, quæ vi metusque caus. § 2 ac etiam Sanchez, lib. IV, de Matrim. a. disp. 4. usque ad 12.

162. *Adducuntur ea, quæ gravem metum causant.* — Inter causantia metum gravem ab omnibus numerantur I, minæ vel periculum mortis, c. i. de His, quæ vi metusque caus. l. Continet. ff. de Eo, quod metus. caus. quia « terribilium omnium terribilissimum est mors. » teste Phil. 4. Ethic.; II, mutilatio, item cruciatio corporis per carcerem, verbera, inedia, aut similia, c. Cum dilectus. 6. de His, quæ vi metusque caus. can. Si quis absiderit, dist. 55. et cit. l. Continet. ff. de Eo, quod metus caus.: III, servitus, l. Egopulo. 4. ff. eod., IV, stuprum inferendum l. Isti quidem, ff. eod.; V, gravis metus regis, c. Ad audientiam. 4. de His, quæ vi metusque, vel a superioris potentis, l. fin. c. eod. Idem metus amissionis patrimonii, vel confiscationis honorum, c. Abbas, 2. h. t. et can. Presbyteros, distinct. 50. Et ita teste

Sanchez, loc. cit. disp. 5. n. 4. docent omnes, ob satis clara jura.

163. *Arbitrium judicis in quibus locum habeat?* — Pariter conveniunt omnes, quod in aliis malis, de quibus ex jure non constat, an sint gravem metum causantia necne, recurrendum sit ad arbitrium judicis, arg. l. 3. ff. Ex quibus causis major. ibi : « Sed non sufficit, quolibet errore adductum fuisse, sed hujus rei disquisitio judicis est : » quod tamen arbitrium adhibendum, et attendendum non est circa ea mala, quæ de jure pro insufficientibus habentur ad inducendum gravem metum, uti post Baldum, c. 2. de His, quæ vi metusque caus. bene observat Sanchez, loc. cit. n. 2. quia arbitria dantur et conceduntur in his, quæ sub certa regula comprehendi nequeunt, ob humanam varietatem, arg. l. Non possunt. ff. de Legib. Non item in illis, quæ satis ex jure constant, arg. c. i. de Constitut.

164. *Metus reverentialis quando censeatur gravis, consequenter sufficiens ad invalidam professionem.* — Notabilis, atque in praxi frequens est controversia, an etiam, et quando metus reverentialis sit gravis, consequenter sufficiens, ut invalidam reddat professionem. Navarrus enim, lib. III, consil. h. t. consil. 89, et in Manual. cap. xxii. n. 50. cum aliis apud Hyacinth. Donatum, tom. II, tract. XI, q. 10, et Glossa, in cau. Præsens, cau. 20. q. 3. §. Patrem, volunt, quemvis metum reverentialem causare invalidam professionem, arg. l. Velle. 4. ff. de Reg. jur. ibi : « Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini » et can. Præsens, cau. 20. q. 3. et ibi Glossa, cit. « Hic habes, quod timor patris impedit matrimonium spirituale. » Afferunt etiam pro sua opinione cardinalium declarationem, qua professio cujusdam fœminæ declarata fuit nulla ob solum metum reverentialem.

165. Verum communior, ac probabilior docet, solum metum reverentialem regulariter loquendo, non censi gravem, consequenter nec sufficientem, ut invalidam reddat professionem, nisi alia concurrant, quæ homo difficile a se repellere potest, et inde metum gravem in eo causare, merito censentur; puta, precum, vel imperii sæpius repetiti importunitas, quæ utique efficere possunt, ut toties instanti contradicere quis non audeat : item minæ verberum, vel duræ tractationes : item si ii, a quibus novitii ingressuri vita, et fortuna dependet, mi-

nentur, quod agressuro nullum amplius subsidium, vel auxilium sint præbituri : quæ singula, et multo magis conjuncta viri prudentis arbitrio sufficere possunt ad gravem metum incutiendum, consequenter ad reddendam professionem invalidam, præsertim si persona alias sit amida, vel rudis, aut ad repellendas importunitates minus idonea. Sanchez, lib. IV. de Matrim. disp. 6. n. 7. et 17; Hyacinth. Donatus, loc. cit. n. 5; Anchoranus, in c. i. de Despons. impub. n. 4. et ibi Abbas, n. 4; Layman, lib. IV, tract. III, cap. v. n. 6. Pirhing, h. t. n. 120; Lessius, de Justit. et jur. lib. II, cap. xvii, n. 35. et communissima aliorum, e quibus copiosum numerum specificat Sanchez, loc. cit. Ratio est, quia solus metus reverentialis absque aliqua ex memoratis circumstantiis non videtur sufficiens ad terrendam personam constantem, et incutiendum ei timorem gravem arg. c. fin. qui clerici, et voventes, ubi habetur votum emissum præcepto regis, vel parentum non esse nullum, consequenter metum præcise reverentialem non causare metum gravem, nec invalidare professionem : Glossa, ibid. §. Metu regio. Eadem sententiam sæpe tenuit Rota apud Donatum, loc. cit. quam etiam refert Farinacius, tom. II, dec. 179.

166. Nec obstant argumenta et jura in contrarium allata, n. 164. quia intelligenda sunt, non de nudo metu reverentiali, sed vestito aliqua ex circumstantiis allegatis n. 165. prout liquet ex variis aliis juris textibus, ubi dum ob metum reverentialem agnoscitur metus gravis, semper adest aliqua hujusmodi circumstantia, ut can. Puella. 8. cau. 20. q. 1. ubi ad annullandam puellæ professionem, præter metum reverentialem, qui ex imperio vel precibus parentum oriri solet, etiam requiritur coactio parentum, ibi : « Coactæ parentum imperio. » Simile quid habetur c. Ex litteris. de Desponsat. impub. et c. 2. de Pactis. in 6. cum concordantiis, ubi præter metum reverentialem semper aliqua requiritur circumstantia v. g. minæ, vis, dolus etc. pro consiliendo timore gravi. Plura de metu reverentiali nudo et circumstantiati vide apud Sanchez, loc. cit.

167. IV. *Requiritur acceptatio habentis potestatem recipiendi ad professionem.* — IV. Ad valorem professionis requiritur consensus, et acceptatio illius vel illorum, ad quos spectat, aliquem ad professionem suscipere.

Miranda, tom. I, q. 24, a. 3; Innocentius, et Abbas, ac alii canonistæ in c. Porrectum. 13. h. t.; Pirhing, h. t. n. 124; Layman, lib. IV, tract. V, n. 5; Sanchez, lib. V. Moral. cap. iv, n. 62; Navarrus, h. t. consil. 4, cum communi et certa aliorum, arg. cit. c. Porrectum. h. t. ibi : « Et recipitur ab Abbate, » et c. Ad apostolicam. 16 eod. ibi : « Abbate per se, vel per alium professionem recipientem. » Ratio est; quia professio est onerosus et reciprocus contractus ultro citroque obligans, professum quidem ad observantiam regularem; religionem vero ad eundem alendum, et juxta ordinis constitutiones tractandum; consequenter consensus utriusque requiritur, sicut in aliis contractibus reciprocis, arg. l. In omnibus. 53. ff. de Obligat. et action. Hinc etsi quis millies vovent tria vota, et certæ religionis regulam, non erit professus illius religionis, nisi ab habente potestatem accipiatur expresse vel tacite, facto aliquo v. g. vel per signa consensum acceptantis sufficienter manifestativo, quod sufficere communiter doctores notant, uti a contrario tacita professio, tacitusque consensus profitentis sufficit, juxta dicenda infra.

168. *Potestas recipiendi ad professionem ad quem pertineat?* — Residet autem de Jure communi potestas recipiendi Novitios ad professionem penes superiorem ordinis, præsertim majorem, generalem videlicet, aut provincialem, ita tamen, ut prius necessario requirere debeat conventus seu capituli, aut fratrum non tantum consilium, sed et consensum, prout cum communi ac probabiliori docet Miranda, tom. I, q. 24, a. 4; Roderiquez, tom. 3, q. 17, a. 7; Sanchez, lib. V. Moral. cap. iv. n. 65; Pelliz., tom. I, tract. III, cap. iii, qu. 7; Layman, lib. IV, tract. V, cap. v, n. 5; Pirhing, h. t. n. 32. contra Abbatem in c. Apostolicam. 16, n. 11 et 12, h. t. et paucos alios, volentes sufficere, si prælatus consilium, et consensum a capitulo, seu conventu requirat, etsi non obtineat. Nostra autem doctrina probatur ex arg. c. Ea noscitur. 6. de His, quæ fiunt a prælat. Ratio est, tum quia « quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, » juxta reg. 29. jur. in 6. tangit autem totum conventum, ne aliquis eorum communitati incorporaretur inidoneus, qui eis occasio offensionis, scandali, perturbationis, aut alterius damni esse potest; tum quia ita habet universalis consuetudo omnium religionum,

teste Navarro, Roderiquez, et Sanchez, loc. cit. « Consuetudo autem est optima legum interpretis, » l. *Si de. 37. de Legib.* Non requiritur tamen, ut singuli consentiant, sed sufficit, si major pars consensum præstet, et citati doctores cum aliis docent; per jura in tit. *de His, quæ fiunt a majori parte capituli.* Dicitur autem notanter *de Jure communi*, quia ex consuetudine, vel statutis particulibus bene fieri potest, quod potestas recipiendi ad professionem, ad solum spectet Superiorem; quod etiam supponi videtur c. fin. h. t. in 6.

169. Illud etiam unanimiter concedunt doctores, posse superiores aliis committere, ut nomine suo recipiant novitios ad professionem, arg. c. *Ad Apostolicam.* 16. h. t. ibi: « Abbate per se, vel per alium professionem recipiente. » Ratio est, quia « potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum, » c. *Potest.* 68. *de Reg. jur.* in 6. Porro si vi consuetudinis qui statuti ad solum superiorem spectat, novitios recipere ad professionem, eo defuncto nequit conventus eos recipere: secus vero, si ad superiorem et conventum simul spectat, textu expresso c. fin. h. t. in 6.

170. *Ratihabitio quando locum habeat?* — Advertendum insuper, quod si professio est nulla, non quia conventus vel superior consensum negavit, sed quia non fuit requisitus valida fiat, si non requisitus eandem postea ratam habeat. Pellizar., tom. I. tract. III. cap. III. n. 11; Pirhing, h. t. n. 136. Ratio est, quia quæ ab initio non valeant ex defectu consensus, valida fiunt consensu subsequente. *Qui solvend. ff. de Hered. Instit.* et l. fin. c. *de Pactis.* Nam « ratihabitionem retrahit, et mandato comparari non est dubium, » c. 10. *de Reg. jur.* in 6. dummodo etiam nomine illius, seu ad ratificationem ejus, qui consensum præstare habet susceptio fiat, uti bene notat Pirhing, loc. cit. « quia ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. » c. 9 *de Reg. jur.* in 6. et dummodo usque ad ratificationem voluntatem suam non retractaverit nulliter professus.

171. *Ad professionem expressam non requiritur certa verborum forma.* — Quæritur III. Qua forma, ac quibus modis fieri possit professio religiosa expressa? Resp. I. Ad valorem professionis expressæ non requiritur certa verborum formula, sed sufficit quævis, quibuscunque tandem verbis concepta,

dummodo quis per ea tria vota ad certam regulam se adstringere revera intendat, etiamsi ex consuetudine vel statuto religionis certa profitendi formula habeatur. Miranda, tom. I, q. 24, a. 1; Layman, lib. IV, tract. v, cap. v, n. 1; Pirhing, h. t. 3. 96. et seq. Abbas, et communis aliorum, arg. c. *Porrectum.* 13. h. t. Ratio est: « quia nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur, » c. *Nihil obstat. de Verb. signif.* quamvis expediens omnino ac conveniens sit, ut adhibeatur ea, quæ de statuto vel consuetudine religionis est.

172. *Potest fieri, verbis, scriptis et signis.* — Resp. II. Potest insuper professio expressa fieri vel verbis oretenus prolatis, vel scriptis, vel etiam signis, ac nutibus: ut si v. g. dicat prælatus, visne vovere religionem nostram, et novitius annuat capite, etc. Sanchez, lib. V. *Moral.* cap. III. n. 2; Miranda, loc. cit.; Layman, loc. cit.; Hyacinth. Donatus, t. II. tract. x, q. 4; Pirhing, h. t. loc. cit. Ratio est, quia nullibi in jure reperitur, verba, vel scripturam pro valore professionis esse necessariam. Nec facit contra conclusionem can. fin. cau. 20. q. 1. ubi expresse dicitur, professionem debere fieri in scriptis. Respondetur enim cum Glossa ibi: *¶. Scriptis*, requiri scripturam; non quod sit necessaria scriptura, sed ut scriptura propria obviet ei, qui contravenit, arg. can. *Saluberrimum.* cau. 1. q. 7.

173. *Professio et nomen profitentis debent annotari.* Hinc Clemens VIII. apud Donatum loc. cit. statuit, ut in conventu, ubi induuntur novitii, habeatur liber, in quo cujusvis novitii professio registretur, annotando diem, mensem, annum, cum novitii nomine, cognomine, et patria, quod professus etiam una cum testibus subscribere debet, simulque fateri, quod libere fuerit professus, uti censuit sacra Congregatio cardinalium apud Donatum, loc. cit. Eandem annotationem professionis in libero, et subscriptionem profitentis præcipiunt nostra statuta generalia cap. 2. §. 5. n. 13.

174. *Professio expressa per procuratorem fieri potest.* — Resp. III. Professio expressa potest etiam per procuratorem fieri. Miranda, tom. I, q. 24. a. 1; Roderiquez, tom. III, q. 17, a. 23; Sanchez, lib. III, n. 7; Donatus, loc. cit. q. 3; Pirhing, h. t. n. 101. et communis aliorum. Ratio est, tum quia quivis actus per procuratorem fieri potest, nisi a Jure specialiter sit exceptus, L. 4.

§. *Usus. ff. de Procurat. et c. Potest.* 68. *de Reg. jur.* in 6. hic autem actus nullibi reperitur exceptus: ergo. Tum quia valet argumentum a matrimonio carnali ad spirituale, arg. c. *Inter corporalia. de Translat. episc.* atqui matrimonium carnale per procuratorem fieri potest; ergo et spirituale. Requiritur tamen ad hoc speciale mandatum, et ut principalis usque ad tempus professionis, potestatem procuratori datam non revocet, etiam per actum internum, quia tunc deesset consensus necessarius, arg. c. fin. *de Procurat.* in 6. ubi etiam dicitur, quod procurator specialiter ad id deputatus non possit alium deputare.

175. *Ac etiam sub conditione: et quomodo? Conditio quæ, et quando suspendat actum?* — Resp. IV. Professio expressa insuper fieri potest sub conditione de præsentibus, præterita, et futura; dummodo non sit contra substantiam professionis. Sanchez, lib. V, *Moral.*, cap. IV, n. 87. cum communi aliorum. Ratio est, quia in jure nec prohibetur, nec irritatur professio sub conditione. Solum notandum, quod si conditio fit de præsentibus, vel præterito, professio non suspendatur, sed subsistente conditione illico valeat; deficiente vero, statim sit nulla juxta omnes; si vero sit de futuro, suspendatur usque ad ejus adventum, c. *Super eo. de Condit. apposit.* Ratio est, quia natura hujus conditionis est, ut actus valorem suspendat usque ad ejus adventum, l. *Si ita stipulatus fuero.* 126. ff. *de Verb. obligat.* nisi fuerit de futuro necessario eventuro, ut si quis dicat: « profiteor, si sol cras oriatur, » tunc enim professionem non suspendi, sed statim valere docet Sanchez, loc. cit. n. 5. cum communissima aliorum, arg. l. *Si Pupillus.* 9 §. *Qui sub conditione.* ff. *de Novationibus et deleg.* ibi: « Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino exitura est, pure videtur stipulari. » Ratio est, quia talis conditio jam censetur præsens in sua causa naturali. Et etiam matrimonium carnale sub tali conditione initum non suspenditur, sed statim valet, ut cum communissima aliorum docet divus Thomas, 2. 2. dist. 28. q. un. a 3. Sanchez, *de Matrim.* lib. V, disp. 2, n. 2.

176. *Novitiorum habitus triplex.* — Quæritur IV. Quibus modis olim fiebat, et an hodie adhuc post concilium Tridentinum fieri possit professio tacita? Ante responsum notandum, diversum et quidem triplicem pro diversitate religionum, et consue-

tudinis, ac constitutionum earundem esse habitum novitiorum, ut bene advertit Glossa communiter recepta? in Clem. 2. *¶. Deinceps* h. t. *Primo* enim in aliquibus religionibus est penitus indistinctus ab habitu professorum, de quo c. 1. h. t. in 6. *Secundo*, in nonnullis ordinibus est quidem distinctus, sed latenter, seu non patenter ut si habitus professorum solet benedici, non habitus novitiorum, cit. c. 1. h. t. in 6. *Tertio*, in pluribus religionibus est patenter et manifeste distinctus ab habitu professorum, c. *Constitutionem.* 3. h. t. in 6. v. g. quia habitus novitiorum est albus, professorum vero niger: vel quia habet alia externe patentia signa, uti in provincia nostra, ubi novitiorum habitus appenduntur pectus ad distinctionem habitus professorum.

177. *Professio tacita quomodo olim fiebat?* — Resp. I. Tribus potissimum modis olim jure antiquo fiebat, et inducebatur tacita professio, prout cum communi aliorum advertit Sanchez, lib. V. *Moral.* cap. III, n. 19; Miranda, tom. I, q. 24, a. 6; Pirhing, h. t. n. 104; Layman, lib. IV. tract. V. *Primo* quando quis per integrum annum gestavit habitum in religione, in qua habitus novitiorum ab habitu professorum est indistinctus, prout habetur c. 1. *de Regular.* in 6. et Clem. *Eos qui.* eod. *Secundo*, quando quis in pubertate existens, in religione, ubi habitus professorum ab habitu novitiorum patenter est distinctus, per triduum etiam infra annum probationis sciens et volens gestavit habitum professorum, textu claro c. *Constitutionem.* h. t. in 6. quamvis non determinate in illa, cujus habitum portavit, sed generaliter in aliqua religione manere teneretur, prout clare habetur cit. c. *Constitutionem.* in 6. *Tertio*, quando quis actibus professorum propriis ultro se se ingerebat, v. g. in capitulo suffragium ferebat, vel munus abbatis, vel abbatissæ assumebat, vel coronam a solis professis gestari solitam portabat, prout amplius demonstrat Fagnanus, in c. *Vidua.* 4. h. t. probans id ex eod. c. et can. *Vidua.* 34. cau. 27. q. 1.

178. *Inducitur etiamnum post concilium Tridentinum: et quomodo?* — Resp. II. Professiones tacite per concilium Tridentinum non sunt revocate, sed adhuc fieri censentur, et validæ existunt, uti in jure antiquo, dummodo concurrant ea, quæ loc. cit. a Tridentino sunt præscripta, videlicet, quod novitius annum decimum sextum jam com-